

non tenerentur e. Cum causa in princ. de offic. et potest. Judic. deleg. Pirhing loc. cit. num. 40. Cæterum si duo tantum ex tribus delegatis procedant, sententia nullius roboris est, licet tertius ex post eam ratam habeat; Pirhing. loc. cit. num. 41. nisi unus ex delegatis vices suas alteri condelegato commiserit. Cap. *Quamvis* 6. de offic. judic. delegat. Delegatus enim, licet a Pontifice, nequit alijs suam subdelegare jurisdictionem præter condelegatis, quibus, uno deficiente, munus delegationis superest obeundum, præterquam in casu mortis; cap. *Uno* 42 de offic. judic. deleg. Gagliard. Instit. jur. Canonie. lib. 1. tit. 25. § 5. in fin.

(85. Delegati vero officium in hoc versatur, uti ipse ad formam a literis delegationis præscriptam, juris ordine servato, suum diligenter exequatur munus, nec ullo modo jurisdictionis sibi mandatæ fines excedat, adeo ut irritum nullumque prorsus habeatur quidquid vel præter, vel contra tenorem accepti mandati, et juris ordinem, agere tentarit, nisi agatur de rationalibus exceptionibus commissæ causæ connexis, quæ licet in delegationis literis expressæ non sint, possunt tamen a delegato cognosci, dummodo id expresse prohibitum non sit; cap. *Ex parte tua* 13. cap. *prudentiam* 21. de offic. judic. delegat. cap. *Cum dilecta* 22. de rescriptis. Quod adeo verum est, ut neque ex partium consensu ad alias quam a Delegante designatas causas possit mandata jurisdictione prorogari, aut ad alias personas extendi; c. *P. G. per literas* 40. de offic. judic. deleg.

(86. Quod supra diximus delegatum de accessoriis causæ posse iudicium ferre, id limitari solet in iis rebus « quæ specialem requirunt commissionem: secundo si quod expediri debet proprie, ac directe, non ad causam delegatam, sed ad alterius jurisdictionem, ac potestatem pertineat: tunc enim is prius monendus est, ut præstet quod ex officio debet, si vero malitiose id detrectet, tum demum expedire id poterit delegatus. » Pirhing. in decret. lib. 1. tit. 29. sect. 4. § 82. 83. Layman in cap. *Prudentiam* § sexta not. 2. de offic. jud. delegat. Cæterum ubi causa

aliqua delegatur, ea insuper omnia, sine quibus eadem nequit ad exitum perducere censetur commissæ, usque ad sententiæ definitivæ prolationem, vel executionem; c. *Suspicionis* 39. de offic. jud. deleg.

(87. His ita præmissis, Delegatus partes coram se in jus vocaturus, non modo de acceptæ delegationis tenore certiores reddere tenetur, sed ipsis quoque suæ delegationis litteras ostendere debet, et in actis publicis exhibere. Ex plene enumeratis per Rotam cor. Molines dec. 27. num. 9. coram Falconer. de benefic. dec. 11. num. 6. cor. Crispo dec. 390. num. 4. et dec. 406. n. 4. cum nemo, « nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non cogatur, quod mandatur » cap. *Cum in jure peritus* 31. de offic. delegat. (88. Deinde locum audientie suæ præfinire debet infra spatium viginti miliarium designandum, quod unius legitimi diei est iter, cum longius distantes ad delegati nequeant iudicium trahi, ut in cap. *Statulum* de rescriptis in 6. definit Bonifac. VIII. licet Innocent. III. (89. antea statuisset longius duorum dierum spatium. Demum jurisdictionem sibi mandatam, partibus rite auditis exercebit, omnia quæ ad causam spectant, accurate cognoscens; cap. *Præterea* 5. de offic. delegat. contumaces æque ac iudicato non parentes puniet, et pœna vel a legibus indicta, vel arbitraria eosdem coercere poterit, nullo facto personarum discrimine, licet de Prælo, et Ordinario loci agatur, etiamsi in delegationis litteris hoc expressum non legatur. Pirhing. loc. supr. citat. § 72. et plur. seq. Gagliard. loco citato § 6.

(90. Hic quæri potest an Delegatus possit a Litigantibus aliquid accipere intuitu suscepti muneris. Absolute negat Pirhing in Decretal. lib. 3. tit. 1. § 7. 8. et 9. sive delegatus sit a Papa, sive a Principe, sive ab alio inferiore Judice Ordinario veluti Episcopo, excepto tamen casu, quo proprium domicilium egrediatur. Molin. de just. et jur. tract. 2. disp. 84. n. 7. et 12. et disp. 85. n. 2. Vide tamen declarationes allatas a Pirhing. loc. cit.

DENUNCIATIO

QUOD AD DELICTA SPECTANTIA AD S. OFFICIUM.

SUMMARIUM.

1. Affertur in primis Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 2. Ex tali Edicto denunciandi sunt Hæretici, et suspecti de Hæresi, Schismatici, eorumque fautores. — 3. Hæretici evidenter cogniti tales denunciandi sunt, quamvis probari non possint. — 4. Item denunciandi sunt superstitionis, si sua superstitio sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. — 5. Item denunciandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, et proferentes aliquam ex pravis propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint tales propositiones? remissive. — 6. Item denunciandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in Confessione etc. frangentes sigillum Confessionis. — 7. Item denunciandi sunt Sacra Scriptura abutentes in sortilegijs, incantationibus, divinationibus, et hujus-

modi. — 8. Denunciandi sunt tandem omnes, et singuli, quos denunciandos esse præcipiunt Edicta Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ, et Edicta particularium Inquisitorum, seu Ordinariorum ejusque respective Diœcesis. — 9. Ad denunciandum ex vi Edictorum tenentur omnes, et singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive seculares, sive Moniales, et regulares cujusque gradus, ordinis, etc. — 10. Affertur ad id Edictum Universalis supremæ Inquisitionis Romanæ. — 11. Hinc sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam passivam, comprehenduntur Regulares omnes, etiam Generales. — 12. Item etiam Cardinales, Duces, Reges, et Imperatores, licet contra ipsos non soleat procedi, nisi consulto summo Pontifice. — 13. Filius tenetur denunciare Patrem hæreticum; et pater hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et a fortiori ad id tenentur uxor, maritus, frater, soror,

et alii conjuncti. — 14. An quæ dicta sunt de ipsis formaliter hæreticis, dici debeant etiam de ipsis solum de Hæresi suspectis, ad n. 15. — 16. Hæreticus, aut suspectus de Hæresi non tenetur denunciare se ipsum, nisi quando interrogatur ut reus a Judice. — 17. Item Hæreticus socius criminis non tenetur denunciare complicem, nisi quando juridice interrogatur. — 18. Catholici non tenentur denunciare Hæreticos in locis illis, in quibus sunt permixti, id scientibus Episcopis, et inquisitoribus. — 19. Obligatio denunciandi formaliter Hæreticum perseverat adhuc post mortem ipsius Hæretici. — 20. Immo obligatio denunciandi formaliter Hæreticum jam mortuum, perpetuo durat. — 21. Obligatio autem denunciandi alios reos quantumvis vehementer de hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium. — 22. Viget obligatio denunciandi Hæreticum, quamvis credatur jam emendatus. — 23. Viget obligatio denunciandi delinquentem, etiamsi statim post commissum delictum pœniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, et deliberationem ad sic delinquendum. — 24. Probabile periculum gravis damni in vita, bonis, et honore non liberat ab obligatione denunciandi formaliter Hæreticum, etiamsi non dogmatizet. — 25. Liberat autem tale probabile periculum ab obligatione denunciandi solum suspectum de Hæresi. — 26. Licet quis, aut quæ semel tantum maleficium, sortilegium, aut superstitionem fecerit, adhuc debet denunciari. — 27. Accedens ad Confessionem animo non confitendi peccata, sed inducendi Confessarium ad Hæresim, est a Confessario denunciandus. — 28. Non tenetur tamen, nec potest Confessarius denunciare Hæreticum, quem talem scit ex vera ipsius Sacramentali Confessione. — 29. Immo nêdum Confessarius, sed nec qui casu aliquo talem pœnitentem suam Hæresim Confessario Sacramentaliter confitentem audivit, debet ac potest denunciare, ac revelare. — 30. Non excusatur tamen a denunciando Hæreticum formalem Confessarius sciens delictum ratione consilii a se petiti, nisi consilium a se petatur, et detur in Sacramentali Confessione. — 31. Ab obligatione denunciandi Hæreticum, aut suspectum de Hæresi non excusatur secretum naturale, sub juramento de non revelando. — 32. Nec etiam excusat ab obligatione denunciandi, si delictum sit occultum, et probari non possit. — 33. Item non excusatur ab obligatione denunciandi, qui commissum delictum audivit a persona fide digna. — 34. An autem denunciare teneatur, qui audivit a persona levi, et non fide digna. *Remissive.* — 35. Quando plures sciunt commissum delictum, etiamsi unus denunciaverit, non excusantur alii ab onere denunciandi. — 36. Denunciatio Hæretici ex malitia, aut suspecti de Hæresi, est faciendâ nulla præmissa correctione fraterna, etiamsi firmiter

(1. Affertur in primis edictum Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, ut sequitur. « Noi, etc. Per la misericordia di Dio, della S. Chiesa Romana Cardinali in tutta la Repubblica Cristiana contra l'eretica pravità Generali Inquisitori della S. Sede Apostolica specialmente deputati.

« Essendo a noi per la continua esperienza manifesto, che molti per malizia, altri per inobedienza, ed altri per ignoranza non soddisfanno all'obbligo, che hanno di denunciare al Sant'Offizio li delitti spettanti ad esso, e che per ciò succedono grandissimi inconvenienti, ed errori, non solamente contro i buoni, e Cristiani costumi, ma ancora contro la Fede Cattolica; Noi per tanto, ai quali specialmente dev'essere a cuore la gloria di Dio, la conservazione, ed aumento della Fede Cattolica, e la salute

emendatio speretur. — 37. Denunciatio est faciendâ intra terminum in Edictis præfixum. — 38. Qui sine justa causa, et legitimo impedimento non denunciât intra præfixum terminum, peccat mortaliter, et incurrit ipso facto excommunicationem reservatam Summo Pontifici, et Inquisitoribus, seu Ordinariis. — 39. Qui intra præfixum terminum non denunciavit, tenetur, adhuc post elapsum dictum terminum denunciare. — 40. Denunciatio in Regnis Hispaniarum fieri debet solis Inquisitoribus; in alijs vero Regnis, et Provinciis potest fieri etiam Episcopis. — 41. Pœnitens, qui ob non factam denunciationem intra præfixum terminum incurrit Excommunicationem, quamvis accedat ad Confessarium, et promittat se statim denunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit privilegiatus. — 42. Pœnitens, qui ob omissam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 43. Sic pœnitens qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea ex aliqua causa extinguatur onus denunciantis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 44. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere pœnitentes obligatos ad denunciandum, antequam actu denunciati. — 45. In aliquibus tamen casibus expedit, quod confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 46. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 47. In casu, quo reperitur vera obligatio denunciandi, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum quid agendum. — 48. Quamvis Confessarius non moneat pœnitentem de obligatione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 49. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non monent pœnitentes de obligatione denunciandi, seu docent ad id non teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus. — 50. Denunciations debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptionis illius, si sciat scribere, et non denunciatis hoc modo non potest absolvi. — 51. Omittentes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad id tenentur ex Officio, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuentes sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum; adeoque ultra Excommunicationem Edicti incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi. — 52. Non sic autem si omittant denunciare ob causam in se honestam. — 53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti de Hæresi ut denunciandi, quamvis possint puniri omnibus alijs pœnis statutis in Edictis Inquisitorum. — 54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium. — 55. Alia ad rem, remissive.

dell' anime, volendo provvedere a tanto disordine, con autorità Apostolica a Noi commessa, comandiamo in virtù di Santa Ubbidienza, e sotto pena di scomunica di lata sentenza, oltre l'altre pene prescritte da' Sacri Canon, Decreti, Costituzione, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del presente Editto a tutte, e ciascuna persona di qualunque stato, grado, condizione, o Dignità, così Ecclesiastica, come Secolare, che fra il termine di un mese, dieci de' quali per il primo, dieci per il secondo, e dieci il terzo termine perentorio, si debbano rilevare, e giuridicamente notificare al S. Officio, ovvero agli Ordinari, tutti e ciascuno di quelli, de' quali sappiano, o abbiano avuto, o averanno notizia:

« Che siano Eretici, o sospetti, o diffamati di eresia, o credenti, fautori, o ricettatori.

o difensori loro, o abbiano aderito, o aderiscano a' Riti de' Giudei, o Maomettani, o de' Gentili, o abbiano apostatato dalla Santa Fede Cristiana:

« Che abbiano fatti, o facciano atti, da' quali si possa argomentare patto espresso, o tacito col Demonio, esercitando incanti, magie, sortilegi, pergendoli suffumigi, incensi per trovar tesori, ed altri intenti, chiedendo da lui risposte, e invocandolo, ed a questo effetto promettergli obbedienza, e consecraragli pentacoli, libri, spade, specchi, o altre cose, nelle quali intervenga il nome, ed opera sua:

« Che si siano ingeriti, o ingeriscano in far esperimenti di Negromanzia, e di qualsiasi altra sorte di Magia con entrare ne' circoli, far l' esperimento della Caraffa, del Crivello, per trovar i medesimi tesori, e cose nascote rubate, o perdute, e fare altre simili, e superstiziose azioni ad altri fini, massime con abuso de' Sacramenti, o di cose sagre, o benedette.

« Chesenza licenza dovutaritengano scritti, che contengano Eresie, o Libri Eretici, che trattino *ex professo* di Religione, e che gli abbiano letti, o tenuti, o stampati, o fatti stampare, o li leggano, tengano, stampino, facciano stampare, introducano, difendano sotto qualsivoglia pretesto, o colore.

« Che abbiano Libri di Negromanzia, Magia, o continenti incantesimi, sortilegi, o simili superstizioni, massime con abuso di cose sagre.

« Chi contro il voto solenne fatto nella Professione in qualsivoglia Religione approvata, o dopo avere preso l' Ordine sagro, abbia contratto, o contragga Matrimonio.

« Chi, vivendo la prima Moglie, pigli la seconda, o vivendo il primo Marito, pigli il secondo.

« Che contro i Decreti, e Costituzioni Apostoliche abbiano abusato; o abusino il Sacramento della Penitenza, servendosi della Confessione, e Confessionario a fini disonesti, sollecitando in essi i Penitenti *ad turpia*, ed avendo con essi discorsi di cose illecite, e non convenienti al fine, per il quale è stato istituito.

« Che abbiano proferito, o proferiscano bestemmie ereticali contro Dio, la Beatissima Vergine, e i Santi, o procedano a qualche atto di offesa, e disprezzo contro l' Immagini, o figure rappresentanti il medesimo.

« Che abbiano tenute, o tengano occulte conventicole, o radunanze in pregiudizio, disprezzo, o contro la Religione.

« Che abbiano indotto qualche Cristiano ad abbracciare il Giudaismo, o altra Setta contraria alla Fede Cattolica, o impedito i Giudei, o Turchi a battezzarsi.

« Che non essendo ordinati Sacerdoti, s'abbiano con sacrilego ardore usurpato, o si usurpino di celebrare Messa, ancorchè non abbiano proferito le parole della consecrazione, o abbiano presunto di ministrare il Sacramento della Penitenza a' Fedeli di

Cristo, ancorchè non si sia venuto all' atto dell' assoluzione.

« In oltre si dichiara, che quelli, i quali non dinuncieranno, come si ordina col presente Editto, non possano essere da alcuno assoluti, se non dal S. Offizio, dopo che avranno in esso giuridicamente rivelato li delinquenti, al che non possano soddisfare con bolletini, o lettere senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, dei quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

« Si dichiara anche, che con la sudetta espressione de' casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si escludono gli altri casi spettanti al S. Officio, che per altro sono compresi ne i Sacri Canonici, Costituzioni, e Bolle de Sommi Pontefici: nè meno col presente Editto s' intende derogato all' altre provisioni Canoniche Apostoliche, ed agli altri Editti degli Ordinari, ed Inquisitori.

« Ed a fine che del presente Editto non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notifici alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non son Inquisitori, acciochè lo publichino, ed ordinino, che li Parochi delle loro Diocesi lo leggano ogni anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si faccia dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato il popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sagrestie di esse un esemplare del medesimo per osservare quanto in esso si ordina.

« Dal Palazzo del Sant' Offizio questo di 10 Marzo 1677.

« Loco ✕ Sigilli.

« FRANCISCUS RICCARDUS, S. Romanæ et Universalis Inquisitionis Not. »

(2. Ex tali Edicto manifeste patet, quinam sint denunciandi; nempe Hæretici, et suspecti de Hæresi, Schismatici, eorumque fautores, et receptatores. Vide etiam verb. HÆRETICUS n. 32 et 33. (3. Ubi additur quod Hæretici evidenter cogniti tales sunt denunciandi, quamvis probari non possint.

(4. Item denunciandi sunt vere superstitiosi, si sua superstitione sit cum expressa, vel tacita Dæmonis invocatione, et sit mortaliter peccaminosa. Vide verb. SUPERSTITIO per tot., et signanter n. 77.

(5. Item denunciandi sunt docentes, deferentes, aut prædicantes aliquam ex propositionibus damnatis, et proferentes aliquam ex pravus propositionibus ad S. Officium spectantibus. Quæ autem sint propositiones damnatæ. Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ a n. 1, ad 20. Et quæ sint pravæ propositiones spectantes ad S. Officium. Vide ibid. a n. 22, ad 43.

(6. Item denunciandi sunt Confessarii sollicitantes ad turpia in Confessione, vel occasione, seu prætextu Confessionis, tam in Confessionario, quam in loco quocumque, ubi Confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad Confessionum audientiam electo. Vide verb. CONFESSARIUS quoad sollicitationem ad

turpia, et signanter a n. 34, sic etiam denunciandi sunt Confessarii frangentes sigillum Confessionis. Vide verb. SIGILLUM CONFESSIONIS a n. 23, usque ad finem.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Generaliter loquendo nulla extare videtur obligatio denunciandi Sigilli Sacramentalis fractorem, contra ac sentit Auctor: res enim hujusmodi cum ad hæresim minime pertineat, neque ad Sacre Inquisitionis Tribunal pertinere dignoscitur. Dari tamen potest casus, in quo prædicti sigilli fractor denunciandus sit, videlicet si Pœnitentiæ Sacramento, atque exceptis Confessionibus ad contemptum abutatur; si neget quæ Catholica docet Ecclesia tum circa custodiam, religionemque Sacramentalis sigilli, tum circa reliqua, quæ hoc Sacramentum componunt, vel ob similes alias causas sigilli fractor sit graviter de hæresi suspectus. Hisce profecto in casibus talem fractorem denunciandi urget obligatio.

RESPONSIO AUCTORIS AD THEOLOGUM.

Asserit hic R. Theologus, quod generaliter loquendo, nulla extare videtur obligatio denunciandi sigilli Sacramentalis fractorem, contra ac sentit Auctor. Fateor quidem, non extare formale, et explicitum præceptum de hac denunciandi obligatione, sed non deesse Formale et implicitum: deducitur ex cap. Sacerdos 2, dict. 6, de Pœnitent. et cap. Omnis utriusque 12, de Pœnitent. et remiss. ubi decernitur tam grave delictum gravissimis pœnis esse plectendum, quod sine accusatione, seu denunciazione evaderet impunitum; unde necesse est ut tales fractores denunciarentur, ut sic possint puniri juxta citatos Canones, ne tam enormia scelera communi bono ita pernicioso, per impunitatem invalescant, quia impunitas esset maximo periculo retrahendi pœnitentes ab ipso. Hinc Alphonsus de Leone de Officio Confessarii tom. 1, resolut. 29, num. 12, casu 2, expresse dicit, hos Confessarios fractores sigilli denunciandos esse S. Officio, et ita etiam communis vulgi opinio arbitrat, ut refert Carena de Officio S. Inquisitionis tit. 17, § 23, num. 90, qui tamen num. 91, testatur se nunquam vidisse similes processus agitari in S. Officio, prout vidit quandoque eosdem agitari in foro Episcopali; in quo foro Episcopali egomet scio, pluries fuisse cum debita cautela receptas similes denunciationes de simplici violatione Sigilli Sacramentalis sine ulla suspitione hæresis, aut pravi dogmatis, et statim ad Ordinariis fuisse Confessarios violatores suspensos a facultate audiendi Sacramentales Confessiones, et denunciationes missas fuisse Romam, unde fuisse rescriptum, observanda esse eorum vestigia, atenta relatione de eorum bona fama, et quod non fuerint recidivi. Et revera ad forum Episcopale pertinet cognitio hujus delicti, ubi mera sit Confessionis revelatio sine ulla mixtura hæresis, aut pravi dogmatis. Si vero

Confessionis revelatio sit ita qualificata, ut inde oriatur suspicio hæresis, aut pravi dogmatis, spectat ad S. Officium, ut jam tradidi sub verb. SIGILLUM n. 36, et cum pluribus aliis tenent Pignatell. t. 1, consult. 54. Molfes. p. 1, sum. tract. 7, 6, 23, n. 68 et seqq. Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 7, n. 233. Gobat tom. 2, tract. 5, cap. 42, sect. 7, per tot. Bonac. disp. 5, de Pœnit. qu. 7, sect. 5, num. 6. Diana, et alii apud Pignatell. loc. cit. Videantur ad rem, et exacte perpendantur tres Constitutiones Benedicti XIV, prima incip. *Suprema* sub dat. 7 Septemb. 1745. secunda incip. *Ubi primum*, sub dat. 2 Julii 1746. et tertia incip. *Ad eradicandum* sub dat. 28 Septembris 1746, et public. die 5 Octobr. ejusdem An. 1746, et quæ ego tradidi in verb. SIGILLUM, et in Supplementis ad verb. CONFESSARIUS. Videantur etiam quæ sub verb. SIGILLUM CONFESSIONIS, in novis Additionibus ex aliena manu traduntur, ex diversis decretis Sac. Congreg. S. Officii; et ex doctrina Albicij de Inconstantia in Fide cap. 33, et omnia quæ ibi concluduntur.

(7. Item denunciandi sunt Sacra Scriptura abutentes in sortilegiis, incantationibus, divinationibus, et hujusmodi. Vide verb. SCRIPTURA SACRA num. 41 et 43.

(8. Denunciandi sunt tandem omnes, et singuli, quos denunciandos esse præcipiunt Edicta Universalis supremæ Romanæ Inquisitionis, et Edicta particularium Inquisitionum, seu Ordinarior. cujusque respectivæ Diœcesis. Unde sunt ipsa diligenter attendenda, et omnimode observanda sub comminatis Censuris. Vide interna supra n. 1.

(9. Ad denunciandum ex vi Edictorum tenentur omnes, et singulæ personæ sive mares, sive mulieres plenum, et perfectum rationis usum habentes, sive sæculares, sive Moniales, et Regulares cujuscumque gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existant, et quacumque dignitate, et auctoritate etiam maxima fulgeant, ut patet ex verbis Edicti allati supra num. 1, et alterius ejusdem Universalis, ac supremæ Romanæ inquisitionis, quod est, ut sequitur:

(10. « Universis, et singulis Christianis tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus utriusque sexus, cujusvis gradus, ordinis, conditionis, et præeminentiæ existentibus, et quacumque dignitate, et auctoritate etiam maxima fulgentibus, harum serie, et tenore, auctoritate nostra, et hujusmodi nostri Officii, qua fungimur in hac parte, præcipimus, et mandamus, quatenus infra duodecim dies proxime computandos quorum primos quatuor pro primo, et reliquos quatuor immediatos pro secundo, et ultimos quatuor pro tertio termino, et peremptorio, ac trina monitione canonica assignamus, omnes, et singulos Hæreticos, seu de Hæresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant nobis, vel Reverendo Commissario nostro quo ad habitantes in Urbe, quo vero ad alios extra Urbem, et ubivis locorum degentes Inquisitoribus, vel Locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis Generalibus sub Excommunicationis majoris latæ

sententiæ pœna, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propagare, cujus excommunicationis majoris absolutionem S. D. N. Papæ, et Nobis reservamus, certificantes hujusmodi conscientiæ suæ immemores, ac dictam excommunicationis pœnam contemntes, quod contra ipsos tamquam contra Hæreticorum fautores, alias prout melius visum, et judicatum fuerit, procedetur, ideo, etc. Datum in nostra et Officii S. Rom. Univ. Inquisit. Congregatione die 3 Januarii 1623. »

(11. Hic sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam quoad passivam comprehenduntur quicumque Regularium Superiores, etiam Generales, quidquid dixerint aliqui, ut habetur expresse ex Decreto Alexandri VII. incip. *Licet alias*, in quo confirmat et ampliatur Constitutionem Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*, etc., præcipitque legendum quotannis Kalendas Martii in publica refectione, vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato sub pœnis privationis Officii, vocis activæ, et passivæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem ipso facto incurrendis, etc. Unde a nemine ignorari potest dicta eorum obligatio ipsis etiam supremis Superioribus, ac omnibus subditis Regularibus imposita sub gravissimis pœnis, et Censuris, etiam Excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto absque alia declaratione incurrendis, ac Papæ reservatis.

(12. Item sub talibus Edictis tam quoad denunciationem activam, quam passivam comprehenduntur etiam Cardinales, Duces, et Reges, ac Imperatores, licet contra istos postea non soleat procedi, nisi consulto Summo Pontifice; Carena de Officio Sanctissimæ Inquisitionis par. 2, tit. 9, n. 26 et 28, Bordon. in Manual consult. sect. 26, a num. 16, ad 21. Suarez de Fide disp. 20, sect. 4, num. 24, Pegna part. 3, Comment. 80, Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 4, num. 252. Paramus de Origine Sanctissimæ Inquisitionis lib. 3, qu. 5, n. 23, et pluribus sequentibus, ac num. 40, ubi refert exemplum Caroli V. Imperatoris, qui jussit Joannæ ejus filiæ ab Inquisitoribus vocatæ, ut coram ipsis de nonnullis Fidem tangentibus contra quemdam interrogaretur, et quid ad rem sciret, statim deponeret, tam contra alios, quam contra se, si culpabilem, ne Excommunicationem incurreret; et ipsa illico, totum quod scivit, deposuit coram D. Ferdinando Valdes, tunc Generali Inquisitori, et hoc vigore particulæ in Edicto Inquisitionis Universalis, ac supremæ Romanæ positæ, nempe *quacumque dignitate, auctoritate, etiam maxima fulgentibus*, ut patet in Edicto allato supra n. 10.

(13. Filius tenetur denunciare patrem Hæreticum, et pater Hæreticum filium, etiamsi non dogmatizet. Et a fortiori ad id tenetur uxor, maritus, frater, soror, et alii conjuncti. Sic Ludovicus a Paramo de origine Sancti Officii lib. 3, qu. 8, num. 83, Suarez de Fide disp. 20, sect. 4, num. 21, Farinac. de Hæresi qu. 197, num. 40, Diana par. 17 tract. 4, resol. 4, Bordon. in Tribunal. Fidei cap. 31,

num. 13, Sanctarellus de hæresi c. 9, n. 4, Felix Potestas tom. 2, par. 2, cap. 5, n. 269, Carena l. c. § 3, num. 10, testans de communissima Doctorum contra Abulensem, et paucos alios. Et hæc conclusio colligitur ex Deuteronomii 13, ubi expresse habetur: Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, et serviamus Diis alienis, etc. non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis, et occultes eum. Et ratio est, quia bonum commune Religionis prævalere debet bono privato patris, filii etc. cap. *Scias frater* 25, caus. 7, quæst. 1, cap. *Bonæ memoriæ* 3, de postulat. prælat. et ibi Gloss. verb. *Commune*, l. *Actione* 63. § 5, ff. *Pro socio*, novella 30, cap. 1, vers. *Ea enim*, cum similibus. Nec valet dicere, quod filius excusandus est ab hac denunciatione, cum ex ipsa oriantur ei gravissima damna, ut pœna infamiæ, confiscatio bonorum, et hujusmodi. Non valet, inquam, quia filius denuncians patrem Hæreticum evitat omnes pœnas filiis Hæreticorum inflictas, ut docent Pegna ad director. sub litt. *B.* Comment. 13, pract. 2, Sanctarellus loc. cit. n. 15, Suarez l. c. n. 22, Carena l. c. n. 11, Felix Potestas l. c. n. 269, Alberghinus in Manual. qualif. cap. 35, n. 5, et alii passim.

(14. An autem quæ dicta sunt de patre, filio, fratre, sorore, marito, uxore, et aliis conjunctis formaliter Hæreticis dici debeant de ipsis etiam solum de Hæresi suspectis? variant Doctores. Affirmant Alberghinus in manual. qualif. cap. 35, n. 7, Diana p. 8, tract. 7, resol. 10, in fine; Felix Potestas l. c. n. 272, Carena l. c. n. 13, et alii apud ipsos. Et ratio est, quia eadem militat ratio in Hæreticis, ac in suspectis de Hæresi. Ubi autem eadem est ratio ibi eadem est Legis dispositio; l. *Ideo* 27, ff. *de Legibus*; l. *Illud* 32, ff. *Ad Leg. Aquilianam cum ratio Legis sit anima Legis*; l. *Cum ratio* 7, *de bonis damnatorum*. Tum quia Edicta Inquisitorum loquuntur generaliter, adeoque de omnibus sunt generaliter intelligenda, cum verba generalia generaliter sint intelligenda; cap. *Quia* 22, de privileg. et qui dicit omnia, nihil excipiat; c. *Solite* 6, § *Nobis*, de Majorit. et obed. cum similibus.

(15. Alii autem probabiliter defendunt contrarium. Sic Bordon. in Tribunal. Fidei cap. 31, num. 13 et 14, et in manual. consult. sect. 18, num. 46, Sanctarellus de Hæresi cap. 33, n. 6, Homobon. et Lazarus apud Dianam part. 1, tract. 4, resol. 6, cum aliis apud Carenam loc. cit. num. 12, ubi num. 13, ipsemet subjungit, quod hæc opinio sit satis probabilis, et summa æquitate nitatur. Et ratio istorum est, quia, ut notat Abbas in cap. *Inter sollicitudines* de purgat. Canon. n. 6, traditio est, quod statutum et dispositio loquens de Hæreticis non habet locum in suspectis de Hæresi, et Doctores loquentes de conjunctis obligatis ad denunciandum suos conjunctos, loquuntur de suis conjunctis Hæreticis, adeoque illorum traditio non

debet extendi ad eosdem tantum de Hæresi suspectos, cum de ipsis sit minor ratio, et minus periculum. Eo vel maxime quod pœnalia potius restringi convenit, quam laxari, textu expresso in cap. *Statutum* 22, de Election. in 6, et concordat cap. *In pœnis* 49, de Reg. juris in 6, l. *Factum* 153, § 2, de reg. jur. l. Cum quidam 19, ff. *de Liberis et posthumis*.

(16. Hæreticus, aut suspectus de Hæresi non tenetur denunciare seipsum, nisi quando interrogatur ut reus a Judice; Sanctarellus de Hæresi cap. 9, n. 18, Diana p. 1, tract. 4, resol. 8, Felix Potestas l. c. n. 273, Carena l. c. n. 30, et alii communiter. Et ratio est, quia nemo tenetur prodere seipsum; cap. *Quis aliquando*, de Pœnit. dist. 1, et nullus tenetur suam turpitudinem detegere; l. *Alias* 18, ff. *de jurejurando*. Immo suam turpitudinem vel dolum allegans non auditur, leg. *Mercedem*, § *Cod. de condict. ob turpem causam*; leg. *Si Creditoribus* 5, *Cod. de servo pignori dato manumisso* leg. *Cum profitearis* 4, *Cod. de revocandis donat. cap. Inter dilectos* 8, de donat.

(17. Item Hæreticus socius criminis, ut si particeps vel causa fuit, alter fieret Hæreticus, non tenetur denunciare complicem; nisi juridice interrogetur. Sic expresse Bonac. tom. 1, disp. 6, punct. 2, de Denunciat. num. 8, cum aliis a se citatis. Et quod complex non teneatur denunciare complicem in quacumque materia fuerit complex, tenent Portell. in addit. ad dubia Regular. verb. *Denunciatio* num. 10; Suarez, et Megala, apud Dianam loc. cit. resolut. 9; Bordon loco cit. n. 15, Hurtad. et alii apud Leandrum de Pœnit. tract. 5, disp. 13, quæst. 43. Et ratio est quia, ut dictum est numero antecedenti, nemo tenetur seipsum prodere, nisi juridice interrogetur, nec suam turpitudinem detegere per jura allegata. Complex autem in tali casu saltem indirecte proderet se ipsum, et detegeret turpitudinem suam, cum non possit quis manifestare complicem delicti, quin manifestet seipsum. Tum quia complex denunciatus interrogatus manifestaret denunciatores socium criminis. Fateor tamen vere probabilem esse etiam contrariam sententiam, quæ dicit, quod in casu Hæresis formalis tenetur quis denunciare complicem, licet ad id non teneatur in casu suspicionis Hæresis, uti tenent Bordon. loc. cit. n. 19, et alii apud ipsum, et Felix Potestas loc. cit. n. 275.

(18. Catholicus non tenetur denunciare Hæreticos in locis illis, in quibus Hæretici sunt permixti cum Catholicis, id scientibus Inquisitoribus, et Episcopis, cum nemo obligetur ad opus inutile; Navarrus consil. 3. *de Hæreticis*, Bonacina l. c. n. 9, et alii passim.

(19. Obligatio denunciandi formaliter Hæreticum non extinguitur morte ipsius Hæretici, sed perseverat adhuc post ejus mortem. Communis. Et ratio est, quia crimen Hæresis semper serpit, ut cancer, cum sit naturæ pestiferæ; cap. *Inquisitionis* 18, de Hæreticis in 6. Unde Hæretici etiam post mortem sunt

excommunicandi, seu declarandi excommunicati, privandi Ecclesiastica sepultura, et exhumandi, ac eorum ossa comburenda, si possint ab ossibus Catholicorum perfecte discerni, alias sunt eorum statuæ comburendæ; c. *Sane* 6, caus. 24, q. 2.

(20. Immo obligatio denunciandi formaliter Hæreticum jam mortuum perpetuo durat. Sic Communis Doctorum. Et ratio est, quia Hæresis semper serpit, et perpetuo propagatur contra fidem, adeoque perpetuo durat obligatio denunciandi formaliter Hæreticum, etiamsi mortuum, ut sic per combustionem ejus statuæ in perpetuum damnetur ejus memoria, et in perpetuum ad aliorum terrorem extinguitur ejus Hæresis.

(21. Obligatio autem denunciandi alios reos, quantumvis vehementer de Hæresi suspectos, extinguitur morte ipsorum delinquentium; Alberghinus in Manual. qualif. cap. 36, n. 4, et apud ipsum Pegna, Castrop., Diana, part. 4, tract. 7, resol. 28, Felix Potestas, loc. cit. n. 244, et alii. Et ratio est, quia contra suspectos de Hæresi, etiamsi fuerint fautores, defensores, et Receptatores Hæreticorum, cum non sint formaliter Hæretici, post mortem procedi non potest; c. *Accusatus*, 8, § *Si vero, vers. Porro, de Hæreticis*, in 6.

(22. Viget obligatio denunciandi Hæreticum, quamvis credatur jam emendatus, Diana, part. 2, tract. 4, resolut. 3, Carena, loc. cit. num. 24, Suarez, de Fide disput. 20, sect. 4, n. 13, Farinac. de Hæresi quæst. 197, num. 52, Bonacina, loco citat. num. 5, Felix Potestas loco cit. num. 278, et alii plures contra alios. Et ratio est, quia talis Hæreticus posset fingere se emendatum ad effugiendam denunciationem: Tum quia posset esse, quod alios infecerit sua Hæretica pestilentia, seu quod ab aliis fuerit infectus. Unde necesse est, ut hoc Judicibus Fidei plene innotescat. Tum etiam quia finis Edictorum præcipientium denunciationem non est sola emendatio delinquentis, sed punitio ad publicum exemplum, et aliorum terrorem. Vide verb. *CONFESSARIUS quoad sollicitationem ad turpia*, num. 47.

(23. Viget obligatio denunciandi delinquentem, quem post commissum delictum superstitionis, aut blasphemæ statim poeniteat, si in ipso cognoscatur fuisse plenam advertentiam, et deliberationem ad sic delinquendum; Bordon., in Tribun. Fidei, cap. 31, num. 9, Felix Potestas, loco cit. n. 279, et alii. Et ratio est, quia in delictis solum consideratur voluntas deliberata in factum transiens, et non voluntatis perseverantia, aut subita retractatio: si autem in aliquo casu tales interveniant externæ circumstantiæ, ut ex ipsis possit prudenter colligi ipsum in blasphemiam v. g. prorupisse sine plena advertentia ad malitiam, aut sine pleno consensu voluntatis, et mente non integra, sed turbata ex vehementi passione, tunc sic ut excusaretur a culpa, ita esset excusandus a pœnis, cum ubi non est culpa, non debeat esse pœna; cap. *Cognoscentes*, 2, de Constitutionibus; cap. *Quæsit*, 2, De his quæ